

tim stante febre. Primò accipiatur gallina bene carnosa, & nō antiqua, aut capo carnosus, & non pinguis, decolletur, & deinde depiletur absq; impositione in aqua calida: postmodum exenteratur, & auferatur omnis pinguedo ab eo, dehinc tota eius caro pectoris & coxarum discindatur in minuta frusta, quæ abluantur cum aqua rosacea, aut violarum, & cum modico vini albi odorifero, postea carnes ita abluta aspergantur hoc puluer recordiali:

R. Corallorum rubeorum, alborum 3.ij.

Margaritarum non perforatarum 3.j.

Foliorum auri puri num.vj.

Misce, & fiat puluis subtilis, cum quo aspergantur carnes, & inuoluantur in eo: deinde sic præparatae ponantur in phiala vitrea magna, & cum his carnibus etiam possunt imponi 10. aut 20. aurei, qui nullum patiuntur detrimetum: tum ulterius os phialæ benè obturetur cū pasta, aut cum stuppa inuoluta in pecia, & cum charta pergamena, aut cum bona pecia cooperiatur totum os phialæ, & ligetur cum fune subtili: quo facto accipiatur cacabus, aut caldeare ad minus quatuor sitularum Italcarum aquæ, & appendatur catenæ ad ignem cacabus iste sic aquæ plenus, & accipiatur phiala, & imponatur in caldarium, ita ut p. 4. aut 5. digitos non tangat fundū caldarij, & p. totidem digitos stet super aquā appensam catenæ cū aliquo fune. sumatur deinde pes illius caponis non coctus, & ponatur in aqua caldarij, & permitatur bullire in tali aqua extra phiala, donec pes bene coquatur: postquam verò pes bene fuerit coctus, accipiatur phiala & succus iam expressus à tali decoctione facta, &c. in dupliciti vase, uno scilicet vitro, & altero terreo, vel æneo, deponatur in mundo vase vitro, vel argenteo, &c. talis succus, qui à Principe in libello de Viribus cordis, appellatur aqua carnis, dō qua aqua carnis poteris in omni ferculo exhibere, vsq; ad cochleari vnum: & vbi virtus fuerit debilis valde, etiā absq; ferculo, ppinari potest: neq; enim est aliud cordiale, quo tam citò virtutem cordis restauramus, cor confortamus, spiritus vitales vivificamus, & quo totum corpus fortificatur, &c. sicut est hæc aqua carnis, & fortasse non minor est eius restauratio, q̄ illa, quæ fit ex vino albo odorifero: & potest hęc aqua tutò administrari in febribus, quoniam non est multæ caliditatis, propter permixtionem eorum quæ cum ea abluantur, & est longè melior, quam sublimata, quæ fit in alembico: quod s̄ampissimè sum expertus. Quod si febris esset valde intensa, & multum acuta, administrādi sunt aliqui flores cordiales, aliqua etiam semina frigida, complexionem febrilem remittentia, vt:

R. Florum violarum,

Nenufarum ana 3.j.

Buglossæ,

Boraginis ana 3.s.

Seminum melonum mundatorum,

Batecæ, vel Languriæ ana 3.j.s.

Misce omnia cum carnibus inuoluta, vt suprà, ponantur in phiala, & decoquātur vt suprà: præparat enim stante febre subito mirabiliter. Absoluta regula cibi & potus, veniendum est ad ac-

A reī, qui etiam declinet à temperamento per frigidum & humidum: & si naturaliter talis nō sit, artificio alteretur, vt reddatur frigidus & humidus, cum herbis scilicet, fructibus & floribus, & alijs huiusmodi aerem rectificantibus, sicut etiam in hoc casu fecimus. Circa inanitionem & repletionem, iam dictum est de repletione in regimine cibi & potus: inanitio autem fit cum his quæ infradicentur. De exercitio nihil interim dico, quoniam ipse in lecto iacet: possunt tamen in hora declinationis febris aliquæ frictiones fieri in brachiis & tibiis, leues tamen, & teneram facientes carnem & humores, non autem inflammantes: quæ quidem in febricitante exercitij locum supplerint, ac etiam in sanis, vt docet Princeps capite de Exercitio. In accidentibus animi ordinamus gaudium & lætitiam, quoniā iræ & tristitia prosterunt vires, & exterminant virtutem, 3. Tech. Spes etiam semper iniungenda est, quoniam in omni ægritudine confortare mentem, & bene se habere ad oblationes, bonum: contrarium vero malum Hippocrates dixit. Et hoc modo compleatur prima intentio, quæ in regimine vita, & sex rerum non naturalium consistit.

*Minoratio materiae.* Occurrens igitur huic Nobili viro febricitanti, vt diximus, febre dependente à multitudine humorum superius diectorū, decreui ante eradicatiuam euacuationem, aliquantisper minorare materiam: nam stante multitudine, par est ea paulatim euacuare, vti virtus aliquantis per exonerata fortior fiat ad materiam digerendam, & etiam euacuādam eradicatiuē. Iuslī ergo, omnibus consideratis, hoc sumere minoratiuum:

R. Florum cassiæ nouiter extractæ 3.j.

Electuarij lenitiui 3.s.

Sacchari q.s.

Misce, & fiat dactylus. Quod si in forma boli accipere voluisset, dissoluissim tale minoratiuum cum aqua endiuī, cichorij, acetosæ ana 3.j.s. propinassim duabus aut tribus horis ante cibū. Sic etiam eodem modo exhibui bolum, à quo materia satis conuenienter minorata est, & in quanto, & in quali satis conuenienter educita: quod vbi fuit absolutum, deueni ad tertiam intentionem, quæ est materia digestio.

*Digestio materiae.* Quoniam materiam euacuare non debemus, nisi prius fuerit digesta, iuxta canonem Hippocratis, Digesta medicari, &c. propterea celebrata iam minoratione ad digestionem iam properandum est: hoc igitur digestiū in hoc casu usus est:

R. Syrupi acetosi 3.j.

De endiuī 3.j.s.

Aquarum endiuī, Cichoriæ,

Acetosæ ana 3.j.

Misce, &c. Post celebratam digestionem, quæ in principio fit, nunc non aperientibus, nec multum subtiliantibus accedendum est ad quartam intentionem, eradicatiuam scilicet purgationem humorū causantium febrim. Euacuationem adhibemus nunc purgantē electiū choleram, qualiter diximus esse corporalem materiam ipsius febris, & sic eam præparauimus:

R. Pro-